ea possibilis est, secundum conditionem utriusque, ad arbitrium bonorum. Et cum sibi objecisset damna in personam commissa, puta, ablationem virginitatis, vel abscissionem membri; respondet; ibi ad 2. *In his, quæ objectio tangit, quæ non possunt ad simile bonum restitui, debet fieri restitutio, quantum possibilis est, scilicet, ad arbitrium bonorum.* Tum hac *quæst. 62. art. 2.* ad 1. his verbis: *Quando id, quod est ablatum, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est: puta, cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personæ, secundum arbitrium boni viri.* Loqui autem Sanct. Doctorem de debito strictæ justitiæ, ex eo constat, quia in eo art. agit de eo, quod quis debet facere, tamquam sibi necessarium ad salutem. Neque loquitur de damno consequente, ut expensis, lucro cessante &c. sed de damno personali; nempe, de recompensando id, quod ablatum est, puta, membrum, vel vitam, eo quod non possit, vel ipsum, vel ei æquale restitui.

VII. Cum S. Thom. sentiunt Adrianus *Qu. ultima, de Rest.* Richardus in 4. *dist.* 15. Soto, *l. 4. de Just. & jure qu. 6. art. 3.* Salon, Valentia, & alii. Idemque videtur sensisse S. Anselmus, *l. 1. cur Deus homo cap.* 11. his verbis: *Sicut qui lædit salutem alterius, non sufficit, si salutem restituit, nisi pro illata dedecori injuria recompenset aliquid: ita qui honorem alicujus violat, non sufficit honorem reddere, si non secundum exhonorationis factam molestiam, aliquid, quod placeat illi, quem exhonoravit, restituat.* Ex quo infert, quod qui peccando Deum exhonoravit, debet secundum exhonorationis modum Deo satisfacere.

VIII. Nec desunt rationes. Primo. Nam corpus æstimatur viliùs post mutilationem, vel deformationem, quam ante; ergo, ut ad aliquam æqualitatem veniatur, facienda est aliqua compensatio. —— Secundo. Circumscriptis omnibus damnis realibus, is, qui injuste occidit, aut mutilat, lædit justitiam commutativam; ergo de necessitate salutis est, ut, quantum possibile est, restituat. —— Tertio. Quanto plus aliquem damnificavit, tanto magis tenetur ad restitutionem: sed bona corporis excedunt bona externa; ergo si quis læsit in bonis externis, tenetur restituere, & si non possit idem, vel æquale, saltem quantum potest: alias plus teneretur qui ovem alterius, quam qui alterius vitam occidisset; ergo &c.

IX. Sed dices primo. Restitutio est faciendo domino rei: atqui homo non est dominus vitæ suæ, aut membrorum, sed Deus; ergo &c.

Respondeo, nego maj. Nec enim restitutio soli domino facienda est, sed interdum etiam ejus custodi, vel rei usum habenti, si injuste gravetur. Cum ergo homo, esto non habeat dominium vitæ suæ, ac membrorum, habeat tamen custodiam, usum, & possessionem: ideo si injuste illa auferantur, sicut non fit injuria soli Deo, sed ipsi homini; ita non soli Deo facienda est compensatio, sed ipsi læso. Et sicut si alicui injuste eriperetur justus usus domus, deberet ei fieri restitutio usus; vel, si fieri non posset, saltem injuria compensari: ita in casu.

X. Dices secundo. Qui debet aliquam summam pecuniæ, nec habet unde reddat, jure naturæ manet liber ab obligatione restituendi, neque tenetur ad aliam compensationem faciendam: sed qui alium occidit, vel mutilavit, non potest corporale damnum, quod intulit restituere; ergo jure naturæ &c.

Confirmatur. Parochus, qui injuste recusavit ministrare Sacramenta morienti, peccavit contra justitiam, qua ex officio tenebatur, & qua infirmus habebat jus exigendi: & tamen cum non possit hujusmodi injuria per æquale compensari, nemo dicit, Parochum teneri compensare per alia bona inferioris ordinis, puta, pecuniam, orationes, Sacrificia; ergo &c.

XI. Respondeo, quod pecunia ad hoc inventa est, ut sit mensura commutationum, & compensationum in rebus temporalibus: unde si quis non habeat pecuniam, nec aliquid pecunia æstimabile, ideo fiet ordinarie liber. At esto quis non possit reddere vitam, aut membrum; potest tamen habere alia, quibus possit aliqualem facere compensationem, ut docet S. Thom. laudatus. Addo: hanc instantiam nobis favere. Nam sicut si quis alium damnificaverit in multis centenis millibus florenorum, neque unquam sit futurus sufficiens ad eos, sive in æquivalenti refundendos: non erit propterea immunis a restitutione facienda, sed debet recompensare, secundum quod erit ei possibile: ita in casu præsenti.

XII. Ad Confirm. vel dico, ministrationem Sacramenti injuste a Parocho negatam moribundo, non posse compensari, nec per æquale, nec per æquivalens; ideoque per accidens excusatur a compensatione. Vel dico, non esse improbabile, præfatum Parochum teneri ex justitia compensare injuriam orationibus, & Sacrificiis, pro anima defuncti.

XIII. Dices tertio, Hæres homicidæ tantum tenetur ad compensationem damni realis, ut dicemus; ergo nec homicida ad amplius tenetur. Cum enim obligatio transeat ad hæredes, si teneratur homicida, nec satisfeciffet, tenerentur satisfacere hæredes.

Respondeo, neg. ant. Nam si homicida, neque remissionem obtinuerit, neque satisfecerit pro damno naturali, personali, probabile est, hæredem ipsius obligari. Dici etiam forte posset, obligationes reales transire ad hæredes, non autem obligationes meræ personales; qualis est obligatio homicidæ compensandi damnum illatum personæ.

XIV. Dices quarto. Si occisor aliquam compensationem deberet facere, maxime deberet eam facere; per bona spiritualia, quæ etiam prodesse possent occiso: sed ad hæc non tenetur, qui enim occidit, Ethnicum, non tenetur sic compensare; ergo neque qui occidit Christianum: nam lex naturæ debet esse æqualis.

Respondeo, nego maj. absolute. Ea enim compensatio fieri potest in utroque genere bonorum, tam spiritualium, quam temporalium. Quare si occisus non sit capax bonorum spiritualium, quia mortuus in peccato; restitutio fieri potest, vel per bona temporalia, vel petendo a suis hæredibus veniam, & condonationem.

Ubi noto, quod cum inter Christianos præsertim, qui condonare inimico in præcepto habent, plerumque, occisori concedi soleat ejusmodi condonatio a filio, vel consanguineis occisi; per hanc damnum personale sufficienter reparatum existimatur.

XV. Dico tertio. Pro damno personali non tenetur homicida, vel mutilator, se ad pœnam talionis offerre vel ad bellum contra Turcas proficisci. Tum quia: nemo tenetur esse actor, & reus. Tum quia: nulla est lex ad hoc obligans: leges enim pœnam talionis præscribentes erant judiciales, & per legem gratiæ abrogatæ. Unde modus faciendæ compensationis, pro injuria personali, relinquendus est arbitrio virorum prudentium: qui perpensa qualitate lædentis, ac læsi, confidento etiam modo læsionis, an de industria, & per insidias, an per iram, & contentionem, judicent, quantum oporteat ex bonis, vel spiritualibus, vel temporalibus compensare: de temporalibus, si hæredes indigeant, occisus vero de spiritualibus bene sibi providerit, de spiritualibus vero, si hæredes non indigeant, occisus vero non providerit de spiritualibus: de utrisque vero, prout judicabitur esse necessitas, vel opportunitas, nisi hæredes injuriam occisione illatam gratiose condonaverint.

§. II.

An Teneatur Restituere pro Damno Reali?

QUærendum modo est de detrimentis, quæ læsionem corporalem sequuntur, vel in læso, vel in aliis, ex ejus morte: an scilicet hæc omnia debeant a lædente compensari.

XVI. Dico. Damna realia, quæ ex injustitia alicujus occisione, vel læsione corporali sunt consecuta, sunt a lædente compensanda. Nam lædens, præter injuriam, & damnum personale, injuste impedivit multa temporalia bona, & multa mala causavit & ipsi læso, & aliis: quæ a lædente, per bona temporalia, possunt ad æqualitatem compensari; ergo ex justitia, qui, cum lædendo, potuit hanc inæqualitatem, tenetur restituendo, æqualitatem inducere. Sicut enim qui per vim, aut fraudem abstulisset ab operario, vel artifice instrumenta artis, quibus lucrabatur sibi, & suæ familiæ, ut amplius luctari non posset; teneretur ille, qui ea abstulit, omnia damna ex illius otio secuta reparare: multo magis qui alteri abscidit manum, vel brachium, queis victum sibi comparare consueverat, vel abstulit vitam, qua filios alebat, damna inde secuta tenebitur compensare.

XVII. Quæ vero damna sint compensanda, & quomodo facienda sit compensatio pro damnis secutis, sive pro lucro cessante ex mutilatione, vel occisione; omissis variis dicendi modis, censeo damna præsentia, & certa ex injusta mutilatione, vel occisione secuta, esse ad æqualitatem reparanda, si lædens possit: alia vero ab eventibus futuris pendentia, arbitrio prudentum esse moderanda.

Hinc damnum ex expensis in curatione factis, ab eo, qui læsit, vel mutilavit, compensandum est ad æqualitatem. Hoc enim conforme est legi, *Exod. 21. v. 18. & 19.* confirmatæ, *C. Si vi rapti, de Injuriis, & damno dato*, his verbis: *Si vi raptores fuerint homines, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, si jacuerit in lecto; qui percusserit, operas ejus, & impensas in Medicos restituet.* Hinc si læsus erat artifex, compensari debet id, quod probabiliter eo tempore lucraturus erat; & multo magis si impotens factus fuit ad operandum toto tempore vitæ suæ: qui non aliunde, quam ex opera sua se, ac suos alebat. Compensationem autem debere fieri, non deductis laboribus, communis tenetur. Tum quia: quod ille non operetur, est ex injuria ejus, qui læsit, non ex ignavia. Tum quia: si æstimatio laboris detrahatur, vix quidquam supererit; quia lucrum sæpe non est majus, quam laboris æstimatio, ut patet in iis, qui laborant, ligna cædendo, secando &c. Verumtamen si is, qui fuit læsus, obierit, in æstimatione lucri hæredibus compensandi merito detrahi possunt ea, quæ solebat vivus, consumere: quia quæ consumebat non sunt annumeranda lucris ad hæredes pertinentibus. An vero occisor teneatur solvere expensas funeris, affirmat Navarrus. Quia tamen eædem impensæ erant faciendæ in morte naturali, verius alii negant; nisi forte ex aliqua circumstantia majores sumptus faciendi essent, quam si morte naturali obisset.

Quoad damna vero pendentia ex futuro eventu, prudentum arbitrio standum erit: id enim, quod in spe est, non æquivalet ei, quod est in re. Unde non valet: mutilatus, vel occisus poterat pro sua familia lucrari decem; ergo decem compensanda sunt. Nam occisus poterat etiam cito mori, infirmari, & casu aliquo repentino impotens reddi. Quare prudentum arbitrio pensandum erit: an occisus firmæ valetudinis, & vegetioris ætatis esset, ut diu, & incolumem victurum sperari posset, an vero e converso: an utilis, an inutilis; si spes erat, ut ad magnam fortunam ascenderet, & plures divitias compararet, & alia, ex quibus regulari potest, quid compensandum sit, plus nimirum, aut minus.

Si

Si enim magna spes erat, plus reddendum erit: si modica, minus.

Similiter si puella in facie deformata sit, ut inde ipsi damnum consequatur; quia scilicet matrimonium utile, aut nobile inire non possit: aut forte ex defectu dotis innupta mansura sit: censent multi, huic etiam compensandum esse damnum, arbitrio prudentum. In compensatione etiam faciendi attendi debet conditio offensoris: nam dives plus compensare debet, pauper vero minus. Uno verbo: regula generalis, & certa statui nequit; sed pensatis circumstantiis a viris timoratis, & prudentibus, in casibus particularibus determinanda.

Huic obligationi damna realia compensandi adstringitur etiam ille, qui pro homicidio, aut mutilatione debitam pœnam luit. Nam, seclusō omni damno reali, debita est homicidæ, vel mutilatori pœna: ergo illam perferendo non satisfacit pro damno illato. Deinde non remittitur peccatum, nisi restituatur injuste ablatum, si restitui potest. Cum ergo is, qui injuste quempiam læsit, ei vel suis hæredibus auferat bona, in quibus damnificantur; consequens est, quod restituere debeat, sive puniatur a Judice, sive non. Quia punitio est pœna, non autem compensatio damnorum, quæ ex injusta læsione secuta sunt.

XVIII. Adverto tamen primo: quod si is, qui occisus est, aut læsus provocavit alium, vel si duo invicem se provocent, & pari consensu in certamen descendant; ille, qui occidit, aut lædit, nullam tenetur alteri, vel ejus hæredibus restitutionem facere: quia in priori casu provocans, in posteriori uterque censetur renuntiasse juri, quod alioquin habuisset ad petendam damnorum compensationem. Unde neuter potest conqueri, quod alteri ei fecerit injuriam; quandoquidem uterque suit sciens, & volens.

XIX. Adverto secundo, quod qui alium petentem, ac volentem interficit, graviter quidem peccat; non tenetur tamen ad compensationem hæredibus faciendam. Quia is, qui occisus est, poterat disponere de bonis fortunæ, quæ per ejus industriam, aut aliter deventura erant ad hæredes; atque adeo poterat illa condonare ei, qui ea impediret: condonasse autem censetur suo occisori, hoc ipso, quod sponte, ac libere consensit, ut eum occideret; cum scienti, & volenti nulla fiat injuria. Unde infert Salon ad *quæst. 58. art. 3.* eum, qui consentientem mutilat, in nullo teneri ei compensare; & qui consentientem occidit, nihil viduæ relictæ, aut filiis debere satisfacere.

XX. Adverto tertio: quod invasus, qui alium occidit, debitum modum defensionis ita excedens, ut mortaliter peccet; esto non in totum, in parte tamen excusetur a restitutione damnorum: nisi ille invasus fuerit causa cur invaderetur. Nam præterquam quod levius peccatis, qui ad sui defensionem alium occidit, licet debitum modum excedat: ille, qui aggreditur, causa quodammodo sit suæ interfectionis, ideoque jus petendi dispensationem amittit ex parte: & per consequens occisor non ad tantam tenetur compensationem, ad quantam teneretur, si non fuisset inique invasus. Quantam porro facere debeat, prudentum judicio definiendum est: in casibus particularibus habita ratione qualitatis excessus, injuriæ, invasoris, aliarumque circumstantiarum.

§. III.

Cui facienda sit restitutio damnorum ex homicidio provenientium.

XXI. DIco. Restitutio, seu compensatio ob damna illata, & lucra cessantia, per occisionem, facienda est hæredibus necessariis; non autem hæredibus liberis. Explico. Quis occidit patrem, vel læsit, ex quo secutum est damnum, vel lucrum cessans: tenebitur alere filios, & uxorem juxta rationem conditionis status ipsorum, ad arbitrium boni viri. Si vero quis occidit artificem, qui sua arte alebat aliquem, quem voluntarie hæredem instituit; illi homini nulla compensatio facienda est, si nullas expensas fecerit in curatione occisi.

Prima pars Asserti intelligenda est, quando filii, & uxor minus habent ad sustentationem suam, quam habebant viventi patrefamilias. Nam æqualitas ponenda per compensationem est, quod filii, & uxor non habeant minus ad honorem, & decentiam sui status; quam haberent vivente viro, & patre, includendo etiam familiam necessariam, attento eorum statu. Ceterum si contingat, quod filii, & uxor non egeant tanta familia post mortem patris, & viri; ad æqualitatem restitutionis non requiritur, quod occisor alat totam familiam, quæ vivente occiso alebatur: sed illam, quæ necessaria est decenti sustentationi uxoris, & filiorum pro ea parte, in qua damnum passi sunt.

XXII. Hæc prior pars sic explicata probatur. Hæredes necessarii, & legitimi, læso jure illius, cujus sunt hæredes necessarii, læduntur in bonis propriis: sed restitutio debet reparare læsionem factam in bonis propriis proximi: ergo talibus facienda est restitutio. Min. declaratur. Pater respectu filii est veluti quoddam totum, cujus filius est pars: vir etiam, & uxor sunt veluti una caro: & ipso jure naturæ filii jus habent, ut alantur a parentibus, & uxor a viro; ergo læsio facta patri, est læsio in bonis propriis, & violatio juris filiorum, & uxoris erga patrem, & maritum. Rursus: homo est quoddam bonum, non sui tantum, sed filiorum, & uxoris, & parentum; ergo qui hominem sustulit gladio, sustulit illis. Sicut ergo omnes debitores defuncti, ea, quæ defuncto debebant ex emptione, commodato, & mutuo, tenentur solvere hæredibus necessariis ejus: ita & hoc debitum; quod ex læsione corporali ipsis provenit.

Id ipsum dicendum esse, ait Bannez, de fama: quæ si injuste ablata fuit patri occiso, restituenda est filiis, & hæredibus necessariis; quoniam una eademque censetur fama ipsorum, & defuncti. Imo, quod attinet ad famam, etsi defunctus non habeat hæredes necessarios, locum habet restitutio facienda ipsi defuncto: cujus anima, cum sit immortalis, adhuc jus retinet, ne sinistre a viventibus de illa judicetur.

XXIII. Posterior pars Asserti probatur. Nam hæredes non necessarii, ex eo quod fuit læsus testator, non censentur læsi in bonis propriis: nam neque sunt partes testatoris, neque testator tenebatur jure naturæ illos alere, quales sunt fratres, aliique inferiores cognati.

Cæterum potest dari casus, ut ex alia causa debeatur a læsore aliqua etiam hæredibus non necessariis restitutio. Cum enim hi etiam succedant in omne jus defuncto acquisitum: etiam succedunt in jus recipiendi sequentia debita.

Primum. Expensas, si quas fecit, in curando vulnere, si non sint ei viventi compensatæ.

Secundum. Si condemnatus sit homicida a Judice ad certam pecuniæ summam persolvendam, hæc hæredibus etiam non necessariis est solvenda.

Tertium. Si facta fuerit conventio inter lædentem, & læsum de pecunia, quæ viventi non fuerit læso numerata.

Quartum. Si vulneratus erat artifex, & accepto vulnere vixerit ad annum, nec potuerit exercere artem suam: percussor lucrum cessans, & damnum emergens, quod tenebatur ipsi læso restituere, tenebitur; si non solvit hæredibus etiam non necessariis compensare.

Tandem. Quia hæredes istiusmodi jus habent agendi de injuria, possunt pecuniam petere, ut actione cedant, & injuriam remittant.

XXIV. Sed contra primam partem dices primo. Qui percussus fuit, vel occisus, non tenebatur ex justitia alere filios, aut uxorem, sed tantum ex pietate, & charitate: ergo multo minus tenetur ex justitia, id facere, qui eum occidit.

Respondeo, nego cons. Verum quidem est, quod pater non tenetur alere filios ex motivo justitiæ, sed ex vinculo charitatis, & pietatis, quod fortius est; sed etiam verum est, quod filii habent jus, ut a parentibus sustententur: cum ergo qui inique occidit patrem, injuste impediat hoc jus filiorum, & inique illis inferat damnum; ideo occisor tenetur illis hoc damnum compensare. —— Neque valet: pater non tenebatur ex justitia commutativa alere filios; ergo neque tenebitur is, qui inique impedivit jus filiorum, ad hujusmodi alimenta. —— Nam neque Petrus tenetur, nisi misericordia, dare eleemosynam pauperi: & tamen, qui injuste impedivit, ne pauper illam recipiat, tenetur illi pauperi totam illam eleemosynam compensare; ergo qui occidit patrem, tenetur ex justitia compensare filiis alimenta &c. licet pater ex justitia ad hoc non teneretur.

XXV. Instabis. Si ipse pater provocasset percussorem ad certamen; in quo fuit, vel mutilatus, vel occisus; adhuc injuste impeditur jus filiorum ad alimenta per occisionem, vel mutilationem patris, quia percussor licet provocatus, inique eum occidit: & tamen in hoc casu percussor non tenetur compensare damna filiis, ut dictum est, ergo &c. —— Si respondeas, in hoc casu non teneri, quia pater provocans renuntiavit juri suo. —— Contra est. Isto pater potuerit renuntiare juri suo, non tamen potuit renuntiare juri filiorum ut a patre alantur.

XXVI. Respondeo, totum jus filiorum, ut alantur a parentibus, pendere nihilominus ex jure, quod habet pater, ut filii teneantur erga ipsum officia pietatis exhibere. Et ideo quando pater isti suo juri renuntiat, quod facere censetur, quando occumbit per mortem, cujus periculo sponte se exposuit, perit consequenter jus filiorum contra percussorem: quia percussor ideo tenebatur filiis, quatenus tenebantur ipsi patri, eo quod erant aliquid patris. Unde pater licet huic juri renuntiando, ac se morti exponendo peccaverit contra pietatem, potuit tamen renuntiare etiam juri filiorum, quatenus erant aliquid sui.

XXVII. Dices secundo. Qui extraxit Monachum a Monasterio, non tenetur ad restitutionem Monasterio faciendam de illa utilitate, quam Monachus præficurus erat: quia Monachus non erat obligatus ex justitia impendere suas operas in utilitatem Monasterii, sed tantum ex religione, & obedientia; ergo similiter qui filios privavit patre, nec tenebitur ex justitia eos alere, quia pater tantum ex pietate, non ex justitia; filios alere tenebatur.

Respondeo, dist. ant. Qui extraxit Monachum suasione, & consequenter volentem; conc. ant. Vi, aut fraude, nego ant. Hinc objectio pro nobis est. Sicut enim qui per vim, & fraudem, & ideo injuste, abduxit Monachum, tenetur compensare damna Monasterio: ita qui per vim, & injuste abstulit patrem filiis, debet iis compensare damna. Et sicut qui Monachum volentem abduxit, non tenetur compensare Monasterio: sic qui abstulit filiis patrem volentem, seu voluntarie se exponentem periculo mortis, non tenetur iis aliquid restituere.

XXVIII. Dices tertio. Si quis occidat hominem ære alieno gravatum, non tenetur compensare creditoribus, si per ejus mortem minus habeant, quam habuissent, si superstes fuisset; ergo neque tenetur compensare filiis, si minus habeant. Conf. prob. a fortiori. Nam Defunctus tenebatur debita illa solvere ex justitia; alere vero filios tantum ex pietate.

Respondeo, conc. ant. nego cons. Non enim eadem ratio est de jure creditorum, ac de jure filiorum, ut alantur. Hoc

etiam

enim ex natura rei inductum est, & debet eis esse rutum, quia in natura fundatur: at jus creditoris ita libero contrahentium consensu acquiritur, ut maneat pendens a periculis vitæ, & bonorum ipsius debitoris. Quare creditor non acquirit jus, ne debitor sibi eripiatur, sicut habent filii, ne sibi eripiatur pater, a quo alantur. Ex quo fit etiam, quod damnum obveniens creditoribus, sit per accidens respectu vo. luntatis occisoris; at damna obvenienda filiis, ex occisione patris, ab homicidio præscindi non possunt.

§. IV.

De compensatione faciendæ ab hæredibus percussoris.

HActenus dictum est de restitutione faciendæ hæredibus occisi, vel læsi. Nunc agendum est de restitutione faciendæ ab hæredibus percussoris, vel occisoris.

XXIX. Dico. Si homicida, vel qui damnum dedit, antequam compenset damnum, moriatur; ejus hæredes, quicumque sint, tenentur ad compensanda damna realia, in quantum fert hæreditas; quam adeunt. Probatur. Illa enim bona, in quibus succedit hæres, sunt obligata ex justitia ad reparanda damna realia, quæ dominus intulerat, injuriose lædendo. Hæreditas autem transit cum onere; & hæredes succedunt in locum defuncti, atque adeo in bona, & obligationes. Nam, ut ait Bonifacius VIII. de reg. Jur. in 6. reg. 77. *Rationi congruit, ut succedat in onere, qui succedit in honore:* & reg. 55. *Qui sentit commodum, debet sentire incommodum.*

XXX. Nec dicas. Lib. 48. Digestorum, tit. 2. Leg. *Ex judiciorum* statuitur, pœnam ademptionis bonorum non transire ad hæredes, si lis non est contestata, nec sententia secuta; ergo hæredes nec tenentur in conscientia ad compensationem damnorum. — Nego enim cons. Quia lex illa non disponit de bonis restituendis; sed de pœnis propriè dictis, quæ nec ab homicida, nec ab hæredibus debentur ante sententiam. Verba sunt: *Ex judiciorum publicorum admissis non alias transeunt adversus hæredes pœnæ bonorum ademptionis, quam si lis contestata, & condemnatio fuerit secuta.*

XXXI. Dixi, hæredes teneri ad compensanda *damna realia*. Nam etsi, ut diximus, pro damno, & injuria personali, seu læsione ipsa in se teneatur compensare ipse percussor, vel homicida; si tamen iste non satisfeciset, hæredes illius ad istam restitutionem non tenerentur: sicut neque hæres, etsi filius, teneretur compensare infamiam, cujus causa fuit pater. Quia utriusque damni reparatio debetur ratione criminis personalis, non realis: culpa autem patris, vel testatoris non transit ad hæredem, licet ad illum transeant bona fortunæ.

XXXII. Adverto tamen; quod licet pater sit hæres necessarius sui filii; non tenetur restituere damna, quæ confecuta sunt ex eo, quod filius percusserit aliquem. Et ratio est (ait Bannez) quia regulariter filius non habet bona, quæ pater ex eo acquirat, & in quibus succedat, per ejus mortem. Si vero filius haberet bona cafrensia, & foret emancipatus; teneretur pater restituere de illis bonis, sicut & alii hæredes.

DUBIUM V.

De eo, qui vitiavit Virginem.

§. I.

De vitiante consentientem.

POtest virgo a viro vitiari, vel ita ut ipsa consentiat, aut virum inducat, ac præveniat, vel etiam amatoriis verbis a viro alliciatur: aut fraude, dolo, sive etiam violentia. Quoad primum.

I. Dico. Si virgo vitiata fuit omnino voluntarie, vel inducens ipsa virum, vel ultro se offerens ad stuprum, aut levibus blanditiis illecta consensit; non tenetur stuprator in conscientia ad restitutionem faciendam, aut stupratæ, aut Patri ejus. Quod non teneatur virgini vitiatæ, probo. Tum quia, scienti, & volenti non fit injuria; cum ergo illa voluntarie consenserit, non fuit passa injuriam. Tum etiam: quia mulier est domina usus suorum membrorum: sed usus membri fervientis generationi, sine violatione virginitatis esse non potest, ergo non peccabit contra justitiam, si amittat virginitatem volens.

Confirmatur. Si alicui scienti, & volenti abscindatur manus, non tenetur qui abscidit ad aliquam compensationem ei faciendam: sed homo non est magis dominus usus suæ manus, quam mulier integritatis sui corporis; ergo &c. Imo magis: nam ad abscissionem manus consentit quidem voluntate personæ, sed dissentit voluntate naturæ: at in voluntaria amissione virginitatis consentit mulier, & voluntate personæ, & voluntate naturæ.

II. Quod vero non teneatur restituere patri, probatur. Virgo ipsa vitiata non tenetur aliquid restituere patri; ergo neque stuprator. Si enim virgo, quæ sua voluntate fuit causa magis principalis suæ violationis, non tenetur quidquam reddere patri; multo minus stuprator, qui fuit causa minus principalis, quia dependens ab ipsa. — Confirmatur. Cum mulier sit domina sui corporis quoad usum, non autem parentes, nulli injuriam facit, cum volens jacturam sui pudoris facit. Et si contra parentum voluntatem, etiamsi indigne nubat, valet matrimonium; nec ipsa, neque vir illius tenentur quidquam rependere patri: sic neque qui stuprum cum illa volente admisit: quia nec ipsa, nec stuprator peccant contra justitiam, sed contra castitatem. Ita sentiunt Sotus, *lib. 4. de Just. quæst. 6. art. 1. ad 2.* Bannez ad hunc *art. 2. dub. 7.* Silon *Controv. 5.* Toletus *lib. 3. cap. 2.* Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 24.* Azorius, Navarrus &c.

III. Sed dices. Est regula: *Si tua culpa damnum datum est, illud compensare debes:* sed culpa stupratoris multa damna dantur tam patri, quam virgini. Quamdiu enim est sub cura, & custodia parentum, sic illis injuria, si corrumpatur, ipsis non scientibus. Tum quia: præcipua puellæ dos est virginitas; qua amissa majori dote, ut possit nubere secundum statum suum: si enim sic corrupta tradatur viro ignoranti eam esse vitiatam, eamque vitiatam deprehenderit: male tractabitur, imo periculo vitæ exponetur. Tum quia: infamia, quæ ex stupro nascitur, tum virgini, tum parentibus, tum toti familiæ, grave damnum est. Cum ergo omnium horum stuprator causa fuerit, videtur teneri omnia ista compensare. — Unde S. Thom. 2. 2. *quæst. 154. art. 6. ad 3.* stuprum, docet, duplicem injustitiam continere: unam respectu virginis, aliam respectu patris.

IV. Respondeo, omnia præfata damna, quæ consequuntur stuprum virginis, quæ libere consensit in stuprum, fore sibi imputanda. Nullam enim fecit injuriam parentibus; cum ipsa, quæ domina est usus sui corporis, consensit. Eadem ratione, quia libens consensit, se fecit indignam, ut nuberet viro sibi compari. Nec pater damnum necessario patitur; sive quia filia potest manere innupta; sive quia pater ad eam majorem dotem non obligatur. Quod si pater voluerit eam honorifice collocare, & propterea teneatur adjicere dotem; filiæ imputet, non stupratori. Quod si nubens viro ignoranti eam esse vitiatam, exponatur vitæ periculo; sibi imputet, quæ tale vitium passa, illud occultavit. Idem dico de infamia in virgine secura, quam ipsa lubens voluit.

V. Quoad infamiam vero, quæ in parentes redundat, dico. Vel ista per accidens secuta est, & præter voluntatem stupratoris: vel ex voluntate, & malitia ipsius, quia scilicet de tali actu gloriatus est, vel incaute retulit. Si primo modo contingat, nimirum absque culpa stupratoris; censent aliqui, non teneri stupratorem ullam satisfactionem, nec veniam petendo, nec honorem præstando, exhibere. Tum quia: dicunt, hoc non esse in usu. Tum quia: ipsa virgo potuit pati hoc detrimentum, absque obligatione restitutionis, non obstante infamia parentibus secuta. Sicut nec qui aliquo delicto suam infamat familiam, tenetur quidquam compensare; cum non teneatur ex justitia bene vivere, ut honorem familiæ fervet incolumem. Quod si non tenetur virgo, neque tenebitur corruptor ex justitia: eo vel maxime, quia talis infamia ex copula illa per se non est secuta; sed ex aliorum malitia, vel divulgatione, cui corruptor causam non dedit.

Alii autem, & forte verius, affirmant. Quando enim defloratio contingit, patre nolente, videtur ei non parva injuria fieri. Cum enim ipse sit custos, & conservator virginitatis suæ filiæ, & in magnum ipsius dedecus cedat talis violatio; si ipso nolente jus custodiæ, & decoris violetur, non sine injuria fit: sicut non sine injuria aufertur id, quod aliquis habet in sua custodia, ipso invito. Quapropter & filia patrem injuria afficit, & is, qui ipsam violat; ideoque secundum rigorem uterque obligatur ad aliquam satisfactionem patri præstandam; puta, per æquivalentem honorationem, aut veniæ petitionem, vel aliis modis, quibus honor ablatus restitui solet (nisi forte pater remittat) non tamen in bonis fortunæ faciendam.

At si ex stupratoris malitia, vel jactantia talis infamia evulgata fuit; proeul dubio tenebitur, nedum satisfacere parentibus, sed etiam fœminæ: vel eam ducendo, vel dotando, vel saltem dotem augendo, ut possit æque bene nubere, ac si hic defectus evulgatus non esset. Et ratio est: quia contra fœminæ voluntatem est causa damni, ex sua injusta propalatione fœminæ secuti.

VI. Ad id, quod additur ex S. Thom. dico, eum loqui de eo, qui virginem seduxit. Ait enim: *Quamvis non vi corrumpat, tamen eam seducit;* & sic tenetur ei satisfacere: quod ostendit ex *cap. 22. Exodi:* & eadem ratione tenetur patri satisfacere; ut habetur *Deuter. 22.* In hoc enim casu dicimus teneri satisfacere. Non autem loqui de eo, qui prorsus volentem corrumpit. Imo in Supplem. 3. *part. quæst. 46. art. 2. ad 4.* indicat, quod quando præsumi probabiliter potest, quod puella non fuerit decepta, sed decipi se finxerit; sponsus, qui eam defloravgerat, non tenetur ei providere de nuptiis.

VII. Nota tamen Primo. Quod cum diximus, defloratorem virginis consentientis non teneri ad aliquam realem compensationem &c. locuti sumus in foro conscientiæ. In foro namque exteriori tenebitur eam ducere, & dotare, vel saltem unum de duobus exhibere; quia ipsam decepisse præsumitur. Imo in tali foro virgo semper præsumitur, licet non sit, nisi oppositum probetur. Verum, ait Lugo, si falsa sit præsumptio, non tenebitur in conscientia violator stare sententiæ Judicis; nec poterit mulier licite contra illum agere in foro externo; sed tenebitur, si interrogetur, veritatem dicere, vel a prætensione desistere; imo etiam restituere damna stupratori obvenientia, si se virginem, aut deceptam fingens, cogat illum aliud parentibus dare; ac sumptus in prosecutione litis factos restituere.

VIII. Nota Secundo, cum PP. Salmant. C. 3. *de Restit. punct.* 1. §. 1. *num.* 6. & aliis. Quod si defloratur sit valde dives, & fœmina pauper, tenebitur aliquam partem dotis ei conferre, licet eam dare non promiserit. Quia tunc quoddam pactum implicitum intervenire censetur, & præsumitur, sub hac spe puellam in sui detrimentum consensisse: quia frequenter pauperes puellæ credunt, hac via sibi de opportuno subsidio pro-

provideri. Cum enim videant, in foro externo virginum violatores ad hoc obligari; judicant, semper sub tali obligatione ab ipsis crimen committi. Quod advertere debent Confessarii, nec stupratores divites dimittere absque pœna aliqua pecuniaria ipsis imposita; virgini defloratæ solvenda, si hæc erat pauper, & inferioris fortunæ ad defloratorem.

§. II.

De vitiante per vim, fraudem, aut minas, &c.

IX. DIco. Qui vi, fraudibus, minis, aut alio aliquo modo virginem seduxit, tenetur compensare omnia damna honoris, & fortunæ ipsi, & parentibus inde provenientia, quia illorum injusta causa fuit: & propterea debet ea refarcire, ea ratione, qua supra diximus teneri, qui læsit aliquem in bonis corporis. Idem dicendum de eo, qui prius pugnantem, impudicis tactibus eam provocavit, quo factum fuit, ut tandem in stuprum consentiret. Idem de eo, qui importunis precibus, vehementibus blanditiis, & persuasionibus eam induxit: quia hæc, judicio prudentium graves valde solicitationes sunt: quibus puella victa, & si non sit simpliciter invita, est tamen aliquomodo coacta, vel seducta. Ita sentiunt Navarrus, Bannez, Salon, Toletus, Valentia. Si tamen preces, vel blanditiæ, aut persuasiones non fuerint admodum graves; censetur puella sponte consensisse, & nullo modo seducta; ideoque non tenebitur stuprator compensare, ut superius dictum est.

X. Porro qui aliquo ex dictis modis virginem seductam, vel non plene consentientem violavit; in foro conscientiæ non tenetur, eam simul ducere, & dotare, sed unum ex his exhibere. Nec determinate tenetur ad unum, nimirum, ad eam ducendam, sed satisfacit augendo dotem; ita ut bene nubat, ac si tale damnum passa non esset: dummodo tamen expresse, vel tacite eam ducere non promisisset. Quare etsi fœmina corrupta velit matrimonium, non erit obligatus eam ducere, dummodo aliunde damnum illatum compenset, & etiam pro injuria satisfaciat, nisi remissionem ejus obtinuerit. Si tamen in pœnam criminis, per sententiam judicis, compellatur, ut eam ducat, ad id etiam in conscientia tenebitur; quia sententia pœnalis justa obligat etiam in conscientia nisi virgo violata sponte cedat matrimonio, & alia compensatione contenta sit, & cum ea parentes.

XI. Verum quid dicendum, si qui fraude violavit virginem dicendo, se esse nobilem, aut divitem, cum non esset, velit tamen eam ducere, & ipsa nolit, vel parentes ejus eam illi tradere recusent? — Crederem, fœminam non teneri (si dispar sit conditio, aut etiam si par, supposita tamen fraude) tale oblatum matrimonium acceptare: sed teneri violatorem, pecuniis illatum damnum, quod per injuriam passa est, compensare. Nec enim cogenda est cum violatore, & deceptore contrahere, & ultra damnum, privandi jure ad eligendum sibi virum, quem voluerit.

XII. Iterum. Quid dicendum, si oppressor virginis adhuc dubitat, eam virginem esse.

Dicendum, teneri modo dicto omnia damna compensare: quia semper præsumitur virgo, dum certo non constat de opposito. Imo etiamsi certo reperiat, eam non esse virginem; dum tamen reputabatur talis, & suo injusto concubitu eam diffamavit; tenebitur eam ducere, vel dotem augere, vel de nuptiis competentibus ei providere: quia intulit illi damnum contra justitiam, accedens ad eam fraude, aut vi, & eam injuste exturbans ab opinione virginitatis. Idem dicendum de eo, qui fraude, aut vi cognovit viduam honestæ famæ; si ex tali copula illi provenit infamia. Si vero infamia secuta non sit; tenebitur adhuc compensare injuriam fraudis, & doli, seu violentiæ adhibitæ; & damna etiam fortunæ, si quæ secuta sint, aut virgini existimatæ, aut viduæ.

XIII. Tertio. Quid dicendum, si virgo vi, aut fraude violata, postea æque bene nubat, ac si virtata non fuisset; vel in religione sponte profiteatur: tenebitur ne defloretor aliquid ipsi, vel parentibus restituere, præciso damno diffamationis? Dico, adhuc teneri compensare injuriam personalem, quam ei irrogavit, vi, aut fraude eripiendo ei virginitatem; ut diximus de eo, qui abscinderet alicui membrum corporis Cæterum si antequam contraheret, aut in religione profiteretur, vel sententia judicis, vel pacto non erat ei adjudicata dos a stupratore solvenda, non crederem ad aliud teneri, non enim violatæ ullum reale damnum secutum est, ut casus supponit. Pro periculo autem, in quo eam constituit non inveniendi nuptias sibi commodas, non tenetur. Nam periculum non obligat, nisi secuto damno, vel nisi antequam constaret de damno non secuturo, initum fuisset pactum de aliquo emolumento solvendo pro eo, quod se constituerit in periculo; quod in casu non supponitur. — Si tamen desponsata, agnito vitio a marito, male tractaretur, vel dimitteretur; teneretur tunc defloretor talia damna compensare, arbitrio prudentum.

XIV. Idem dico, si virgo corrupta moriatur ante tempus nubendi; & ante obitum non fuit initum de pretio pro periculo damni, cui se exposuit. Tunc enim nihil tenebitur defloretor hæredibus compensare; eo quod damnum secutum revera non sit. Si vero ante mortem puellæ pactus esset cum illa de dote, vel per sententiam judicis ei adjudicata fuisset: tunc teneretur hæredibus eam solvere: quia hi succedunt in omnibus juribus illius, & ei competunt omnia debita realia, quæ defunctæ ante mortem debebantur. Si vero post pactum de dote puellæ danda, vel etiam ante tale pactum puella condonasse injuriam, & omne debitum stupratori (hanc enim condonationem facere potest, quia non parentibus, sed ipsi immediate talis satisfactio debebatur) violator remaneret adæquate ab omni obligatione absolutus.

XV. Si quæras: quandonam censeatur defloretor vi, minis, aut fraude virginem corrupisse?

Respondeo, quod vim, seu violentiam physicam omnes norunt. Puta, si defloretor puellam vi comprimeret, & reluctantem vitiaret: minas etiam expressis, ut si districto gladio mortem illi, vel parentibus, aut aliis minaretur, nisi ipsi consentiret: fraudes pariter; ut si cum deceptione ad illam accederet; ita ut deceptio esset tota causa, cur virgo consentiret. — Alii tamen casus sunt, in quibus præsumitur, violentiam saltem moralem inferri virgini; ut non omnino voluntarie, & libere censeatur consensisse. Primo. Si stuprator esset illius dominus, superior, aut tantæ auctoritatis, ut ipsa non audeat contradicere. Secundo. Si quis nimium molestus extraordinariis diligentiis solicitaret virginem; & illa tandem victa succumberet, potius ut se ab illis liberaret: hoc tamen arbitrio prudentum esset pensandum; quia rarissime contingere potest. Nam fœmina de facili potest, concepta ira, & asperitate importunum a se avertere: quod si non facit, indicat, ejus molestiam sibi non displicere. — Tertio. Si ex industria procus adhiberet aliqua remedia, etiam venefica, quibus virgo excitaretur ad vehementes passiones luxuriæ, ut facilius consentiret in stuprum: quia licet illæ passiones augeant voluntarium; diminuunt tamen liberum. — Quarto. Si amplexibus, osculis &c. solicitetur, quamvis postea libere consentiat: quia per similia posita fuit in tali periculo, ut ad resistendum virtute valde heroica eguisset. An vero dona, etiam maxima, censeantur moralem vim inferre, non arbitror, quia dona illa fœmina accipit ex cupiditate: neque censetur vim pati, sed potius illa voluntatie acceptando, ipsa sibi viam aperuit ad stuprum. Non desunt tamen, qui affirment. Sed rectum judicium ex circumstantiis formandum est.

XVI. Quid autem dicendum de eo, qui virgini matrimonium promisit, sive ex animo, sive ficte id faciens; & sub ea spe virgo passa est defloravi. Tenetur ne eam ducere? An satisfacit, eam dotando, vel ei de nuptiis providendo?

Respondeo, absolute loquendo, teneri eam ducere. Primo. Quia talis promissio fuit quidam contractus: cum ergo puella præstiterit, quod ex sua parte requirebatur; etiam vir præstare debet, quod requiritur ex sua. — Secundo. Quia si ficte promisit, decepit puellam; & quidem cum damno pudoris, & aliorum, quæ inde sequuntur: fraus autem nemini debet patrocinari, maxime cum damno alterius.

XVII. Ab hoc excipiuntur tamen aliqui casus, quibus is, qui sub promissione matrimonii corrupit virginem, non tenetur eam ducere. Primus est. Si is, qui promisit, habet impedimentum dirimens: puta, si sit in sacris, si sit in aliqua religione professus, sit alteri junctus matrimonio: &, ut probabiliter sentiunt multi, si habeat votum simplex continentiæ; cum promissio facta Deo sit fortior promissione facta homini, etiam jurata. Tenetur tamen compensare damna. — Secundus est. Si ex matrimonio secutura appareant magna scandala, inimicitiæ, & alia gravia mala; tunc enim alia via providere debebit. — Tertius est. Si ex modo loquendi, vel aliis conjecturis, puella potuit deprehendere, virum non sincere loqui: quia tunc non est decepta. Imo volunt aliqui, virum nec teneri ad compensanda damna. — Quartus. Si puella fornicetur cum alio: hoc enim posito, solvuntur quoque sponsalia, & vir manet ab omni onere solutus, quia deceptus fuit. — Quintus. Si finxerit, se virginem, & a viro deprehensa fuerit corrupta; tunc enim ipsa virum decepit. Idem est, si ipsa nihil dicente, vir putans esse virginem, eam deprehendit esse corruptam. Si tamen vir sciens, eam esse corruptam, nihilominus eam ducere promittit, ut ejus corpore fruatur: si quidem vere promittit, non est dubium, quin obligetur; imo etiamsi ficte (ut verius multi putant) modo aliunde non sit impedimentum. Quia vir non est deceptus, & mulier ex parte sua conditionem contractus implevit.

Sextus est. Si ita sint in statu, & conditione dispares, ut vir quidem sit illustris, vel nobilis, aut officio, & dignitate conspicuus; fœmina vero sit vel rustici, vel opificis filia, aut ancilla. Hunc casum indicavit S. Thom. Supplem. 3. *par. qu. 46. art. 2. ad 4.* Ubi postquam dixit, quod stante promissione, vir *Tenetur eam ducere, si sint æqualis conditionis, vel si Sponsa sit melioris conditionis:* subdit tamen, multos dicere, non teneri. *Si sponsus sit multo melioris conditionis.* Et rationem dat. Quia fœmina non potest conqueri, se esse deceptam; cum facile conjicere posset, eam promissionem, vel non ex animo fieri, vel si ex animo factam, non esse tamen implendam: unde ait S. Doct. *Præsumi probabiliter potest, quod Sponsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit.* Cæterum si bona fide puella ignoraverit illam disparitatem, aut vir ex animo promiserit, sciens eam longe imparem, obligatus videtur ad matrimonium, nisi ejus remissionem obtineat, vel propter mala inde secutura non expediat. Tum quia: promissio sincere facta, & acceptata obligat. Tum quia: mulier vere alioquin est decepta. Videantur Azorius, Navarrus, Toletus &c.

DUBIUM VI.

De eo, qui Adulterium commisit.

§. I.

Prior Resolutio.

I. NOto, adulterium (sic dictum quasi accessus ad alterum torum) esse copulam cum persona conjugata, & si tam vir, quam fœmina tales fuerint, datur in tali crimine, præter malitiam fornicationis, duplex numero malitia moralis contra justitiam. Unde S. Thomas 1. 2. q. 73. art. 7. loquens de circumstantiis peccatorum: *Peccatum* (inquit) *fornicationis consistit in hoc, quod homo accedit ad non suam, si autem addatur hæc circumstantia, ut illa, ad quam accedit, sit alterius uxor, transfertur jam in aliud genus peccati, scilicet, in injustitiam: in quantum homo usurpat rem alterius.* Et q. 73. art. 5. ad 1. ait, quod *Adulterium non solum pertinet ad peccatum luxuriæ, sed etiam pertinet ad peccatum injustitiæ . . . & tunc gravius est adulterium, quam furtum, quanto homini charior est uxor, quam res possessa.* Nec refert, quod mulier consentiat. Nam, ut docet 2. 2. q. 65. art. 4. ad 3. *Per hoc, quod uxor voluntarie consentit in adulterium, minoratur quidem peccatum, & injuria ex parte ipsius mulieris; gravius enim esset, si adulter violenter eam opprimeret: non tamen propter hoc tollitur injuria ex parte viri: quia*, uxor non habet potestatem sui corporis, sed vir, *ut dicitur 1. ad Cor. 7.* Et insuper fit injuria ipsi matrimonio, cujus insolubile vinculum sic violatur: sitque carnis divisio, qua unio sanctitate Sacramenti confirmata deturpatur. Sicut etsi Clericus consentiat, se a Judice laico comprehendi, & judicari; ipse quidem injuriam personalem non patitur: eam tamen patitur ipse status, cujus juribus, ac privilegiis ipse renuntiare non potest. Ideoque Innocentius XI. hanc propositionem, *n. 50.* damnavit: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in Confessione dicere se esse fornicatum.* Quia vero in adulterio duplex considerari potest injuria: una ratione ipsius adulterii, alia ratione prolis ex adulterio progenitæ: ideo

II. Dico Primo. Si ex adulterio non sequatur proles, neque adulter, neque adultera tenetur ad compensationem damnorum realium, quia nulla sunt secuta; tenentur tamen satisfacere marito pro injuria, si ipse resciverit adulterium. Si vero non resciverit, non tenentur: quia hæc satisfactio non est ficienda, nisi per signa doloris, veniæ petitionem, humiliationem, aliosque similes modos, qui locum non habent, quando maritus ignorat. Hæc Assertio communis est. Immo leges civiles vetant, ne maritus pro adulterio uxoris exigat satisfactionem pecuniariam, *lib. 48. ff. tit. 5. l. Miles*, ac rursus: *l. Marito*, Lib. 2. Codicis tit. 4. *l. Transigere*. Et *lib. 9. tit. 9. l. De crimine*. His tamen non obstantibus, Leffius, *lib. 2. c. 10. dub. 5.* & Malderus, *tract. 3. c. 4. dub. 8.* existimant, non peccaturum maritum, si sine scandalo aliquid ab adultero, pro injuria sibi irrogata, secreto reciperet, vel cum eo transigeret. Quia leges illæ solum negant actionem in foro contentioso; idque ob præsumptionem lenocinii: ne scilicet videretur maritus esse leno uxoris, si propter ejus adulterium pecuniam jure exposceret.

III. Assertio tamen hæc intelligenda est, secluſa vi, & fraude. Nam etiamsi ex adulterio non sit secuta proles; si tamen adulter vim, fraudem, aut minas adhibuit, tenetur pro tali injuria, ad arbitrium prudentis viri, satisfacere.

Quare difficultas reducitur ad casum, quo ex adulterio genita sit proles. Ex hoc enim sequuntur plura damna. Primo. Quod proles adultera educetur ex bonis patris putativi. Secundo, quod si fœmina sit, accipiat dotem. Tertio. Quod accipiat hæreditatem, ac si esset proles legitima, ex qua proles legitima, vel in ejus defectu hæredes legitimi damnificentur.

§. II.

Alia resolutiones.

IV. Dico secundo. Si adulter sit moraliter certus, prolem ex adulterio natam, esse suam; tenetur, tam ipse, quam adultera compensare damna realia patri putativo, ejus legitimæ proli, aut hæredibus legitimis irrogata: uterque quidem pro rata, alteruter autem deficiente, qui vis in solidum; sive adulter suaserit adulteræ, ut filium spurium pro legitimo supponat, sive non. Et ratio est. Nam quando duo efficaciter concurrunt ad damnum injuste inferendum; singuli pro rata, & alio deficiente, qui supereſt, in solidum tenetur reparare damnum: sed sic est in hoc casu; ergo &c. Min. de adultera patet: de adultero vero etiam non suadente suppositionem, probatur. Nam eo ipso, quod is ex suo semine, & aliena uxore faciat nasci prolem, quam maritus ex errore putat suam, eam illi censetur supponere. Tum etiam: quia dum adulter videt hanc prolem, quam scit esse suam, sustentari in aliena domo, mediis alienis, quam ipse tenetur alere, & tacet; eo ipso est causa per se, saltem indirecta, deceptionis, & damni secuti. Unde PP. Salmanticenses addunt: mulierem teneri, saltem ad tertium annum, alere puerum, virum autem a tertio anno usque ad ætatem, qua possit sibi propriis actibus victum procurare.

Immo etsi spurius exponatur hospitali alendus, censent communiter Auctores, teneri adhuc parentes ex justitia solvere expensas pro alimentis, si divites sint, & commode possent illum alere: alioquin defraudaretur intentio fundatorum, quæ pro solis pauperibus hujusmodi pia loca erexerunt. Quamvis non improbabilis sententia sit, eos non teneri ex justitia, si tamen consuetum pretium solverint.

Quod dixi, utrumque teneri, intelligendum est, si utrique adulter, & adultera communi consensu in adulterium convenerunt. Quod si adulter adulteram provocavit, ac induxit ad adulterium, ipse in solidum obligabitur ad omnia damna: eo quod sit causa principalis, & eam inducendo videatur in se suscepisse omnia damna. Ipso tamen deficiente, adultera tenetur in solidum, quia voluntarie cooperata est ad damnificationem.

V. Dico tertio. Si adulter non sit moraliter certus, sed rationabiliter credat, prolem non esse suam; eo quod mulier putet esse sui mariti, vel alias ipsa soleat rem habere cum pluribus; non tenetur ad dictam damnorum compensationem: quod etiam verum est, si mulier asserente, prolem illam esse suam; motus tamen verosimilibus conjecturis credat, eam mentiri, ad ipsum obligandum. Ratio est, primo. Quia possessio stat pro matrimonio, etsi aliquæ conjecturæ in oppositum sint: unde filius judicatur ex legitimo toro natus, si durante matrimonio habeatur, nisi constet de opposito —— Secundo. Quia in dubio melior est conditio possidentis: unde filius jure legitimitatis non debet privari, nisi constet, eum esse spurium. Quare si eo tempore, quo adultera concepit, maritus cum ea habitaret; non teneretur adulter credere esse suam prolem, etiamsi in facie imaginem suam referre videatur: quia hæc sunt signa fallacia, vel etiamsi mulier juret esse suum. Semper enim, non obstantibus probabilibus conjecturis, a legibus, & Doctoribus proles præsumitur esse mariti, & possessio stat pro matrimonio; nisi constet certo de opposito: puta, si vir tunc non habitaret cum uxore, quando concepta est proles; aut ita ægrotaret, ut ineptus esset ad usum matrimonii.

VI. At. Quid si adultera eodem tempore cum duobus conversetur, & non sint signa manifesta, quod proles potius sit unius, quam alterius, remanebit ne uterque liber ab onere alendi filium, & refarciendi damna: ita ut soli matri incumbat filium alere, ac si maritus esset mortuus?

VII. Videtur probabilius; neutrum teneri talem prolem recognoscere, ut suam, aut eam alere, & refarcire damna: quia uterque dubius est de sua obligatione, & licet mala fide accesserit ad mulierem, attamen bona fide possidet bona sua: in dubiis autem, secundum regulam juris, melior est conditio possidentis. Sicut enim in foro externo, re non probata, reus absolvitur: sic in casu nostro, dum res manet dubia, & in utroque foro non probata, neuter obligatur ad alimenta, & multo minus ad alia damna. Sicut si occisus in via reperiatur, & probari non possit, an occisus fuerit a Petro, an a Francisco, iniquum erit utrumque punire, etiamsi certum sit, unum ex illis reum criminis fuisse: hoc, ne innocens injuste puniatur: sic in casu.

VIII. Sed dices pro adversa sententia. Iniquum videri, filium in isto casu subsidio parentum manere destitutum: ergo cum certum sit esse eorum filium, licet ignoretur cujus eorum sit, tenebuntur singuli pro rata illum alere.

Respondeo, nego ant. in casu. Nam etiam iniquum est, ut aliquis cogatur ex parte cognoscere, & alere ut filium, quem non scit esse suum, & forte suus non est. Suo ergo infortunio debet filius imputare, quod ob incertitudinem patrem non agnoscat, a quo subsidia paterna petere possit. Et ob hoc inconveniens, nempe, carentiam debitæ educationis, incerto patre damnatur naturæ lege concubitus inter solutos; & nulla etiam barbararum Gentium lege permissum fuit, ut una mulier duos haberet viros: quamvis in lege divina veteri, & aliis Gentium legibus permissum sit, unum virum duas, vel plures uxores habere.

IX. An vero adulter certo sciens, enatam prolem esse suam, teneatur etiam refarcire damna aliis filiis legitimis obvenientia, ob partitionem hæreditatis, vel successionem filii spurii in hæreditatem, si non sint alii filii legitimi, in præjudicium hæredum. —— Censent aliqui, quod si adulter auctor fuit adulteræ, ut spurium pro legitimo supponeret, teneatur refarcire omnia dicta damna filiis legitimis, vel hæredibus: secus autem quando nec procuravit, nec suasit.

X. Verius tamen dicendum, quod sive suaserit, ut spurius supponatur pro legitimo, sive non, tenebitur compensare damna prædicta. Quia licet non suaserit suppositionem, fuit tamen causa suo injusto actu, ut filius ille spurius credatur filius esse mariti; & hoc per se, cum regulariter, & semper contingat: is enim semper creditur filius mariti, qui ex ejus uxore nascitur; ergo cum per se sit causa talis erroris, est etiam causa omnium damnorum, quæ ex tali errore sequuntur. —— Tum quia: ut adulter causa sit suppositionis, sufficit, ut filium ex aliena uxore susceperit; hoc enim ipso, absque alia fictione, supponit eum marito, ac si filius ejus esset: sicut & adultera, ut causa sit suppositionis, satis est, ut stante matrimonio, & cohabitatione cum viro, susciipiat filium ex alio viro. Adulter ergo, ut pro supposita prole damna legitimis mariti filiis compenset, tenetur non solum ad alimenta impendenda; sed etiam damnum hæreditatis, si possit, legitimis filiis, vel hæredibus compensare.

§. III.

Quid de Adultera dicendum sit.

XI. Respondeo per sequentia. Primo. Adultera certo tenens, prolem natam non esse sui mariti, in conscientia (quantum sine vitæ, & famæ dispendio potest) laborare

rare tenetur, ne legitimis proliius, ac hæredibus noceatur damnum, quia injusta causa illius fuit: nisi forte adulter eam recepisset, vel provocasset; quia in hoc casu adulter teneretur in solidum, quia censeretur hoc onus in se suscepisse.

XII. Secundo. Modus talis compensationis esse potest. Si mulier habeat bona paraphernalia, seu liberæ ejus dispositioni relicta, debeat ea filiis legitimis in compensationem dare. Vel extraordinarie laborare, & lucrum inde acceptum illis tradere, ornatum muliebrem minuere &c. Poterit etiam filio adulterino, si capax sit, statum Clericalem, vel Monachalem suadere, sic tamen, ne secum ferat hæreditatem. Vel agere, ut ab extraneo, vel a suo vero patre adoptetur; sicque honesto titulo, e familia, & hæreditate exeat. Vel demum agere, ut, occulta causa, minor ei portio assignetur hæreditatis.

Quod si uno, vel pluribus ex his modis proli legitimæ totum damnum resarciatur, vel nullum damnum sequatur, potest mulier permittere, ut cum legitimis filiis educetur, & succedat in bonis patris putativi: ut nimirum conservet famam, quæ altioris ordinis est, quam bona fortunæ: —— esto autem illegitimi per leges inhabilitentur ad successionem in hæreditate; hoc intelligitur, quando res est notoria, nec est periculum infamiæ, aut gravioris mali: vel nisi damnum aliter compensetur, ut in casu.

XIII. Tertio. Si adultera nullo dictorum modorum possit damnum compensare, adhuc non tenetur proli, vel marito crimen suum revelare; Hoc probabilius censetur. Quia in dubio melior est conditio possidentis: sed mulier est in possessione suæ famæ, ut supponitur, & semper, vel quasi semper habet rationem dubitandi, an sua revelatio sit profutura; imo timendi, ne ultra infamiæ notam, alia graviora mala ipsi, & proli sequantur, & tandem quod suæ assertioni non credatur: quia filius matri dicenti, se esse spurium, licet hoc dicat in mortis articulo, & post sumptam Eucharistiam, non tenetur credere, ut docent Canonistæ: Quia secundum Regulam Juris: *Alleganti suam turpitudinem cum alterius præjudicio* (quale est hic, cum filius in communi opinione sit legitimus) *nulla est habenda fides.*

XIV. Quare quantacumque sit hæreditas, mulier si honestæ sit conditionis, & passim bonæ famæ, per se loquendo, non tenetur, cum famæ publicæ, aut vitæ periculo revelare crimen suum: imo etiamsi moraliter crederet, esse sibi fidem adhibendam, & damnum a legitimis hæredibus avertendum. Et colligitur ex Innoc. III. rescripto, *Cap. Officii, de Penit. & remiss.* Ubi generaliter dicit, absolvendam mulierem, quæ ignorante marito, de adulterio prolem suscepit, idque viro fateri timet; & competentem satisfactionem per discretum Sacerdotem esse ei injungendam. Ratio est. Tum quia: bonum famæ, per se loquendo, melius est bonis fortunæ. Tum etiam: quia in casu extremæ necessitatis nemo tenetur restituere: qui autem non potest restituere sine certo periculo famæ, & probabiliter etiam vitæ, in extrema necessitate censendus est.

XV. Quæ tamen dicta sunt, intelligenda erunt, si mulier sit bonæ famæ. Nam si mulieris fama, vel esset suspecta, & parvi momenti comparate ad hæreditatem, & damnum prolis legitimæ; teneretur cum periculo famæ (si desit periculum corporis, & animæ) impedire, ne illegitimus hæreditatem capiat. —— Debent etiam intelligi, per se loquendo. Nam per accidens teneri potest. Primo. Si hæreditas, puta, Principatus, aut etiam Regnum ex suo silentio deberet transire ad spurium; & prudentium judicio pluris æstimaretur hoc damnum, quam damnum, quod fœminæ immineret: nam in certis circumstantiis bonum inferioris ordinis potest in æstimatione bono superioris ordinis prævalere. —— Secundo. Si periclitaretur bonum commune, teneretur mulier revelare, etiam cum periculo vitæ: puta, si spurius, qui deberet succedere in Regno, aut Principatu, velut primogenitus, esset hæresi infectus, aut pessimis imbutus moribus; adesset grave damnum communi bono fidei, & pacis timeretur; legitimus vero esset catholicus, & optimæ spei.

XVI. Pro complemento hujus dubii statuo casum, Filius ille adulterinus, in opinione legitimus, vult contrahere matrimonium cum filia sui parentis veri, nempe adulteri; & consequenter cum sorore ex patre, quam ipse nescit, quod est impedimentum dirimens: quomodo se geret mater adultera? Tenebitur ne revelare, sive ante, sive post matrimonium contractum etiam contra parentum voluntatem?

Respondeo, certum esse in primis, parentes id rescientes (nempe utrumque adulterum) omni possibili modo, adulterio non revelato, hoc matrimonium impedire teneri. Quod si aliter impedire non possent, teneri uni saltem eorum, nempe filio, vel, si aliter fieri nequit, etiam utrique, impedimentum revelare: ne tantum faciuus, nempe, incestus fratris cum sorore sequatur.

QUÆSTIO III.

De restitutione famæ.

SPecialem quæstionem de hoc instituimus, quia specialem affert difficultatem. Quare quærimus: quomodo fama lædatur: quis, quomodo læsionem hanc reparare debeat: aliaque pro plena conscientiarum institutione exponemus.

DUBIUM I.

Quot modis fama, vel honoris læsio contingat.

§. I.

Quid sit fama, & honor.

I. FAma, & honor licet vulgo pro eodem accipiantur, diversa tamen sunt. Nam honor habet pro materia propria alterius excellentiam, ut sapientiam, ingenium, nobilitatem, divitias, dignitatem. Unde solet definiri cum S. Thom. 2. 2. *qu. 103. art. 2.* quod sit: *Quædam protestatio de excellentia bonitatis alicujus.* Fama vero habet pro materia primaria, & propria virtutem, & bonos mores alterius. Unde definiri solet: *Clara notitia, quam alii de nobis habent.* Vel bonæ, & inculpatæ vitæ existimatio, quam alii de nobis habent. Undeconsistit potissimum in opinione virtutis, & sapientiæ, & bonarum actionum alterius: quamvis secundario consistat etiam in opinione ingenii, eloquentiæ, nobilitatis, divitiarum, &c. aliorum, quæ inter homines magni æstimantur.

II. Hinc infertur primo: famam esse majus bonum, quam honorem. Tum quia: potior est æstimatio, quam alii habent de nostra probitate, quam reverentia, quam homines sæpe vane, imo & mendaciter exhibent. Tum quia: fama consistit in interna opinione, honor in externa testificatione; actus autem interni præstantiores sunt externis. Tum demum: quia in tantum honor æstimatur, in quantum est testificatio famæ, seu bonæ existimationis, & in quantum eam includit. Unde qui prudentes sunt, malunt, homines de se bene sentire, absque ulla exteriori protestatione; quam si per honorem attestarentur, se bonam opinionem habere, cum haberent malam.

III. Infertur secundo ex his: famam, & honorem non ita inter se connecti, quin aliquando separentur. Multoties enim honorantur Magnates, ob excellentiam sanguinis; quorum mala habetur opinio, & morum sinistra existimatio. Et e contra viri sanctissimi in eremis latitantes solent honoribus privari; de quorum sanctitate, & virtute clara habetur notitia, & æstimatio. Quare potest peccari graviter contra honorem, & non contra famam; ut si alicui in occulto alapam dedisti, honorem, quem teneris compensare, læsisti, non famam: si alicujus honorem denigrasti, crimini falsa ei objiciendo coram personis, quæ ea non crediderunt, honorem vulneraſti, non famam. E contra vero si alicui absenti detrahens, defectus graves occultos prodendo, ejus bonam æstimationem coram aliquibus, qui eos crediderunt, denigrasti, contra famam egisti, & forte non contra honorem: quia non semper est dehonoratio, saltem gravis, turpia de aliquo narrare. His notatis.

§. II.

Resolutio Dubii.

IV. FAma, & honor alterius possunt lædi facto, ut si ad januam uxorati appendantur cornua: & verbis, mirum, vel detractione, vel contumelia, vel susurratione, vel derisione.

Detractio definitur a S. Thom. 2. 2. *qu. 73. art. 1.* quod sit: *Injusta denigratio alienæ famæ, per occulta verba.* Dicitur primo *Injusta*. Unde non peccant, Judex juste, & legitime damnans reum, testes juridice deponentes, revelans alterius crimen, ut damnum vitet proprium, vel alterius, servato ordine fraternæ charitatis. Dicitur *Alienæ famæ*. Hæc enim est detractionis objectum, sicut alienus honor est objectum contumeliæ. Dicitur etiam *Occulta*. Quia detractor loquitur occulte, contumeliosus autem manifeste, & palam. Dicitur *per verba*. Sive propriè dicta, sive per æquipollens, ut sunt nutus, gestus, scriptura, imo & aliquando etiam silentium.

V. Contumelia definiri potest, quod sit Injusta dehonoratio, qua aliquis id, quod est contra honorem alterius, deducit in notitiam eius, & aliorum. Contumelia est præcipue consistat in verbis. potest tamen etiam irrogari facto: vel ut factum est proximo nocumentum afferens: ut si alterum fuste percutias, vel ei alapam infligas; vel ut factum habet rationem signi. Sic frangere imagines, vel insignia Principis: ut factum est, nullum nocumentum affert Principi: ut tamen signum est assumptum, ad ostendendum animum ipsum dehonorandi, eumque contemptu dignum ostendendi, contumelia est. Similiter alterius januam deturpare, ut ipsum quis vilipendat, contumelia est: eam autem frangere, potest ad rapinam pertinere, si frangat, ut alienum rapiat; & ad contumeliam, eodem actu velit eum dehonorare: unde utrumque foret in confessione exprimendum. Verbis autem tripliciter contingere potest contumelia. Primo. Si quis alteri objiciat defectus verbis apertis. Secundo. Si scripto, vel famoso libello: & tunc vel nomen suum manifestat; & sic partim est contumeliosus, partim detractor: vel reticet, nec vult manifestari; & sic est proprie detractor, quia vult infamare cum quadam occultatione. De contumelia agit S. Thom. 2. 2. *qu. 72.* ad quam Studiosum remitto.

Solum observandam censeo ex eodem S. Doctore, laudata quæst. *art. 1. ad 3.* differentiam inter contumeliam, convicium, & improperium. Quod contumelia proprie est dehonoratio per verba exprimentia malum culpæ: ut cum alicui seu vere, seu falso objicitur, quo sit fur, mæchus, hæreticus, &c. Convicium est dehonoratio per verba objicientia generaliter repræsentantia defectum, sive culpæ, sive pœnæ: ut si alicui injuriose dicas, eum esse spurium, cœcum, claudum, con-